

Consternit ; manansque humor de pumice raro
Concrescit longam frigidus in glaciem.
Hoc , saltem hoc ; inter tot dura , atque aspera te te
Ah minus immitem sentiat ille sibi :
Seu mitem potius , placidumque . Hoc , hoc age quamvis
Asper , & immanni præditus ingenio .
Pone iram , sævosque bonus dedisce furores :
Hoc fac , seu fieri non pote , sive pote .
Sed pote . Piræi portus , vicinaque portu
Testis erit primarum urbs genitrix segetum .
Illic nativumque ferunt mollisse rigorem ,
Atque tuas olim te posuisse minas ,
Quum Pandioniæ gliscens amor Orithyiae
In vestra ardentes impulit ossa faces .
Ut tibi tunc imas pervasit flamma medullas !
Ut mitem e sævo reddidit , ac placidum !
Nam neque tam verni genitabilis aura Favoni
Leniter umbrosis ludit in arboribus ,
Nec Zephyrus tam leni almam Titanida flatu
Antevolat , quam te tum dominæ in foribus
Vix strepere adsuetum perhibent connubia frustra
Orantem blandis non sine lacrimulis .
Tene igitur flexit formosa puella , tonante
Editus hic durum sentiet usque puer ?
Pulchrior hic multo , multo & mage dignus amari est .
Quæ geminis certant lumina sideribus
Aspice , lacteolasque genas , & eburnea colla ,
Pectoraque intactas vincere nata nives .
Quique nitor puris pellucens undique membris
Cœlesti ignotum non sinit esse genus .
Ut quamquam in nimbos lucis pater ætherius Sol
Vultumque , & currus abdidit igniferos ,
Attamen obscura frustra in caligine se se
Occultans densis involuit tenebris ,